

1468 Canalis, Jacobo Venerio cum triremibus sex ad præsidium relictō, ipse cum reliquis navibus in Eubœam venit: hic classe novis supplementis aucta, in Lemnum transiit, ex Lemno in Himbrum, ubi de Oeno oppugnando consilium cepit. Cum sex igitur & viginti triremibus oppidum sub auroram adortus, scalas mœnibus admoveri jubet: qui eas admoverant, oppidanis subito pavore perculsis, muros statim occupant: portæ interim refringuntur, quibus patefactis, immissæ copiæ in prædam discurrunt: direptum oppidum, atque ex parte injecta flamma combustum, multi cæsi, multi quoque in captivitatem abducti, captivi promiscue mares ac fœminæ miserabili modo vexati, omnia sacra ac profana violata, nec ulla Christiani nominis habita ratio: quanquam enim & barbaro & īmpio victori servirent, religionem non mutaverant. Ferant præter cætera, quæ nefarie edita dicuntur, sacras virgines, quibus barbarorum libido ob religionem pepercerat, tunc ad stuprum raptas. Quod scelus Chalcidis excidio, ipsiusque imperatoris exilio postea expiatum multi credidere. Præda ingens cum duobus millibus captivorum in Eubœam abducta est. Nec multo post Nova Folia vi cepit, ac diripuit. Inde & Vetera acri oppugnatione adortus, re parum fœliciter tentata, cum cæde suorum Venetus a mœnibus est repulsus. Sub vernum autem tempus barbari cum valida classe Cocinum, in Lemno oppidum, subito incursu occupavere, captum, hostiliterque direptum, abductis incolis, desolatum reddiderunt. Ad eam famam Canalis excitus, cum quatuor triremibus in Lemnum venit: ubi inspecta suorum clade (hostes enim jam inde abierant) in Chalcidem rediit. Hic sex triremes, quæ noviter in supplementum classis ex urbe venerant, offendit: cum his & aliis veteribus Methonem transiit, quo undique suis ex hibernis excitis, quinque & triginta triremium classem explavit, qua fretus, consilio in hostes movendi Chalcidem reversus est. Sed dum ille quam valida potest vi classem exornat, in Epiro adversus Turcos prospere pugnatum est.

1469 Disceptabant inter se de Principatu Alexius & Nicolaus

Oenus
occupatur &
diripitur.

Du-